

& quodammodo æquiuocè dicuntur aliqua relatiua æquiparantiæ: & qualiter determinatio Aristotelis sit conueniens, quæ est de relatiuis, cum solæ relationes sint in hoc genere, vt species: & quo modo huius generis sunt tantum duæ primæ species, & c. quæ patent inspicienti.

Summa textus.

VM prædicamenta dupliciter considerentur: vel secundum se, & suas proprias perfectiones: vel secundum quod substantia denominant, & afficiunt: inde fit quod secundum primam considerationem prius de qualitate, quam de relatione erat agendum, vt fecit Aristoteles 5. Metaphysic. quia qualitas est perfectior: tum quia sequitur formam, quæ est perfectior entitas in composito: tum etiam, quia est entitas absoluta, & omne absolutum perfectius est relatiuo: attamen iuxta secundam considerationem prius de relatione est agendum: post quantitatem enim ipsa prius afficit substantiam: tum quia multæ relationes immediate in substantia fundantur: tum etiam quia plerumque fundantur in quantitate, vt vidimus: quare post quantitatem merito iuxta hoc agit Aristoteles de Relatione, in quo cap. duplicem relatiuorum definitionem ponit; nonnullasque ipsorum proprietates enumerat, vt videbimus: quem ordinem sequens Subtilis Doctor, quinque quæstiones mouet circa caput hoc: in quarum prima, quæ quasi continet omnes, interrogat, an genus relationis sit genus vniuersum? Partem negatiuam quatuor argumentis suadet: sed pro vera, & affirmatiua.

1. Conclus.

Dicitur primo: generalissimum Relationis est genus vniuersum, id est vniuersum: hanc probat, quia de omnibus suis inferioribus dicitur secundum vnam rationem.

2. Concl.

Secundo dicitur: ratio constitutiua huius prædicamenti est habitudo vnius ad aliud: patet, quia omnes relationes habent hunc modum denominationis substantiam.

3. Conclus.

Tertio dicitur: licet dentur relationes rationis quæ habitudinem includunt; non tamen ponuntur in hoc prædicamento; nisi forte reducantur: habetur ibi, ad secundum dico, quod non est inconueniens: & probatur: quia enti reali, & rationis nihil est commune vniuersum: ergo nec relationi reali, & rationis: ergo relatio rationis non ponitur, tanquam species, & per se in hoc prædicamento.

4. Conclus.

Quarto dicitur: generalissimum relationis est ratio, seu principium referendi ad aliud: sed non ad aliud relatiuum secundum aliam formam generis: sed secundum eandem: hæc habetur in solutione ad tertium principale: & probatur rationibus factis ibi: contra illud, Paulo ante quam istam conclusionem assignet.

5. Concl.

Quinto asserit: generalissimum relationis esse relationem æquiparantiæ, non proprie, sed

transumptiue: habetur ibi, ad istud dicendum, quod relatiuum æquiparantiæ, &c.

Tandem soluit argumenta, tam ex aliorum, quam ex mente propria: & inter soluendum, multa etiam dicit, quæ ad sequentem quæstionem pertinent: videantur omnia in fine, ibi, ex his patent, &c.

ARTIC. I.

An ratio huius prædicamenti sit ordo ad aliud?

QVOD non videtur: Relatio est accidens, sicut & reliqua accidentia, sed esse accidentis est esse, in: ergo esse relationis est esse, in, & non esse ad aliud.

Secundo; si esse ad aliud est ratio formalis huius generis, sequitur, quod omnia accidentia sint huius prædicamenti: cum omnia dicant ordinem ad subiectum: imo, quod magis est, omnia quæ sunt in mundo in hoc genere, apponuntur: quia omnia dicunt ordinem ad vniuersum, cuius sunt partes, & ad primam causam, à qua dependent: consequens est falsum: ergo, &c.

Notandum primo, quod accidentia sunt in duplici differentia: quædam sunt absoluta, vt quantitas, & qualitas: & hæc afficiunt substantiam in se non ordinando eam ad aliquod extrinsecum: quædam sunt accidentia, quæ ita substantiæ inhaerent, vt ad aliquod extrinsecum ipsam ordinant: v.g. similitudo ita inhaeret Francisco, vt illum ad Petrum, cui est similis in albedine, ordinat: & paternitas ita inhaeret Ioanni, vt illum ad Antonium filium referat: hæc accidentia relationes dicuntur: & cum eorum esse consistat in esse ad aliud, quærimus; an tale esse ad aliud in communi sit huius generis ratio formalis.

Secundo notandum, quod relatio cum sit accidens, componitur ex genere, & differentia, & generalissimum relationis ex ente per se, & ex gradu seu modo intrinsecum, qui per esse, ad, à nobis explicatur: & de hoc gradu inquirimus, an cum ente hoc generalissimum constituat.

Tertio notandum: quod sicut substantia, alia est transcendentalis, quæ de omni substantia tã completa, quam incompleta prædicatur: alia prædicamentalis, quæ generalissimum substantiæ constituit: sic accidens aliud est transcendens, quod de omni accidente, siue completo, siue incompleto dicitur: aliud prædicamentale, quod est quantitas, qualitas, relatio, &c. Vnde cum esse, in sit modus intrinsecus accidentis distinguens ipsum à substantia: & accidens ex se nec sit absolutum, nec respectuum, sed abstrahit ab utroque, & per vtrumque contrahitur: sic de esse, in, est asserendum: abstrahit enim ab esse ad se, & ab esse ad aliud, & per vtrumque contrahitur ad esse accidentis absoluti, & relatiui. Quare relatio, vt accidens est, includit esse, in; & vt tale accidens est, includit esse, ad. Vtrum autem esse, ad, includat accidens transcendentalis? Dicendum est

1. Argum.

2. Argum.

1. Notand.

2. Notand.

3. Notand.

est, sicut de ente respectu differentiarum diximus.

4. Not.

Quarto notandum ex Doct. quinto Metaphysic. quæst. 11. genus istius prædicamenti in abstracto his nominibus significari: relatio, habitudo, comparatio, respectus, adaliquitas, ordo, & dependentia: licet ordo, & dependentia specialiores sint: nam ordo solum videtur dari inter prius & posterius: & dependentia solum in aliquibus: quia imperfectionem importat: quare in Diuina datur relatio; quæ nullatenus dependentia dicitur. Respectus etiam latius se habet, quam relatio: nam omnis relatio est respectus, non tamen vice versa: tex enim vltima prædicamenta sunt respectus; non tamen relationes proprie loquendo, nisi cum hoc addito: extrinsecus aduenientes. Itaque esse, ad, intrinsecus adueniens, vt per habitudinem ad aliud explicatur, est de quo quærimus in presenti.

Conclusio.

Dicendum. Formalis, & præcisa ratio huius prædicamenti est vnum ad aliud, tanquam ad purum terminum ordinare. Hæc est communis cū Aristot. in hoc cap. & quinto Metaph. cap. 14. & cum Doct. ibidem; & in alijs quam plurimis locis: probatur, quodcumque aliquod commune diuiditur per differentias formales, pro quoque signo vna constituit speciem; seu minus commune: etiam & alia: sed ens descendit ad accides absolutum, & respectuum immediate: ergo pro eodem signo, pro quo absolutum est ad se: pro eodem respectuum est aliud: ergo sicut esse ad se constituit absolutum, sic esse ad aliud constituit relatiuum.

Ad primū, & secundum.

Secundo, idem est principium constitutiuum & distinctiuum: sed per esse, ad, intrinsecum, & essentialiter distinguitur hoc prædicamentum à reliquis: ergo: minor de prædicamentis absolutis constat: nam esse, ad se, & esse, ad aliud, diuidunt ens: de reliquis etiam patet: quia licet sex vltima genera respiciant aliud; non tanquam purum terminum; & tantum sunt relationes extrinsecus aduenientes: ergo esse, ad, intrinsecus adueniens est huius generis ratio constitutiua. Sed hoc clarius ex dicendis apparebit.

Ad argumenta: ad primum patet ex notab. tertio. Ad secundum nego sequellam, ad probationem dico: quod talia de quibus intendit, sunt relatiua transcendentalia: non vero prædicamentalia, quæ includunt esse, ad, de quo loquimur.

ARTIC. II.

An esse, ad, constituat speciale genus à reliquis distinctum essentialiter?

RATIONEM formalem relationis consistere in habitudine ad aliud omnes qui sem fatentur: quid sit autem talis habitudo; non est vniuersim sententia. Quare explosa opinione illa asserente relationem esse illud interuallum, quod inter duo extrema intercedit; quod nihil aliud est, quam vna & eadem relatio, qua duo extrema referuntur:

sicut eadem via est, à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas: explosa igitur hac opinione tanquam inintelligibili: quia idem accides nequit esse naturaliter in pluribus subiectis, nec eadem relatio potest plures effectus formales oppositos tribuere: vt esse patrem, & esse filium. Prima sententia affirmat omnes relationes, præter Diuinas, esse respectus rationis: huius sententiæ defensores fuere (vt referunt Commentator, & Albertus in prædicam. cap. septimo) Zenon, & Eleata, quibus subscripsit Aureolus in primo distincti. 30. quæst. 1. art. 2. Itaque asserunt relationem esse consortium, aut coexistentiam duorum extremorum: vt ibi gratia, vnum album esse simile alteri; nihil aliud est, quam alterum album illi coexistere: aut duo alba simul, aut hoc album habere albedinem; sicut alterum: relatio autem nihil est in re; nisi tantum per intellectum extrema sic, vel sic, concipiunt. Probatur primo: entia non sunt admittenda vltra rei exigentiam: sed duo alba, omni superaddito, siue actione intellectus, siue diuinæ omnipotentis, reiecto, sunt similia: ergo nihil aliud ad hoc præter dicta est admittendum: probatur minor; quia duo alba habent vnitatem formalem in ratione albedinis, in qua formaliter conueniunt: ergo formaliter sunt similia: quia non possunt aliter concipi: quia non, vt dissimilia.

1. Sentent.

1. Argum.

2. Argum.

2. Sentent.

Argumen.

2. Sentent. Doctoris.

1. Notand.

non

& lib. quinto de Trinitate capit. decimo dicunt, relationem quoad esse, in, esse aliquid reale: at vero quoad esse, ad, abstrahere ex æquo, & vniuocè, ab esse reali, & rationis: & vtramque relationem comprehendere. Alij autem affirmant relationem quoad vtrumque esse realem; conuenit tamen Analogicè cum relatione rationis: ita vt hoc sit peculiare huius generis; quod in eo relationes rationis inueniuntur: sic tenent Diuus Thomas questione octaua de potentia articulo secundo, & questione secunda articulo quinto, Flandria, & Araujo quinto Metaphys. & præter auctoritates Diui Thomæ hoc expresse afferentes potest hæc sententia probari rationibus, quas facit Doctor in textu ibi: contra ista.

3. Sentent. Doctoris.

Tertia tandem sententia tenet nec relationes secundum dici, nec relationes rationis per se aut reductiue in hoc genere collocari; sed solum relationes reales secundum esse, & intrinsecus aduenientes: ita Doctor hic; & questione sequente; & quinto Metaphys. questione vndecima, quem sequuntur omnes sui discipuli cum Valera lib. secundo dist. 5. art. 1. quæst. 2. & cum Suarez vt supra.

1. Conclus.

Dicendum primò. Relationes secundum dici, siue transcendentales non ponuntur in hoc prædicamento. Probat per Aristotel. ad ostendendum, quæ relatiua ad hanc categoriam pertinent, tradidit secundam diffinitionem relatiuorum; per quam relatiua secundum dici exploduntur: aliter enim, ait ipse, omnes naturæ aliorum generum ponerentur in hoc: ergo talia relatiua secundum dici non ponuntur per Arist. in hoc prædicamento.

Secundò, illa ponuntur in hoc prædicamento, quorum totum esse est ad aliud, vt ad purum terminum; sed relatiua secundum dici non sunt huiusmodi: vt patet in materia, & forma: & ex prima differentia assignata: ergo.

Tertiò, nomina instrumentaliter ponuntur in quolibet prædicamento secundum significatum formale: sed significatum horum relatiuorum est absolutum, vt patet discurrendo: ergo.

Nec sufficit dicere cum Cardinali Toletò: quod relatiua secundum dici ponuntur in hoc prædicamento minus principaliter; in alijs vero prædicamentis absolutis magis principaliter: non, in quam, hoc sufficit: nam impossibile est; vt supra quæst. 10. antepæd. diximus; eandem rem nec principaliter, nec minus principaliter in diuersis prædicamentis collocari.

2. Conclus.

Dicendum secundò. Relationes rationis, nec per se, nec reductiue, in hoc prædicamento collocantur. Hæc quoad primam partem est expressa in textu: & probatur, enti reali, & enti rationis nihil est commune vniuocum: ergo cum relatio rationis non habeat commune vniuocum, in quo cum relatione reali conueniat, non poterit directè in hoc genere collocari. Dices: conuenire cum in illa in hoc, quod est esse, ad; nam vtraque refert ad aliud.

Contra. Tum, quia modus determinatiuus, & constitutiuus gradus entis realis debet esse realis: quia determinabile, & determinans; consti-

tutum, & constitutum, debent proportionari; aliter enim hoc generalissimum esset essentialiter ens rationis. Tum etiam, quia illud esse, ad, in quo conueniunt; vel est aliquid reale, vel rationis: cum non detur medium in idem est dicere ens reale, & ens rationis; ac ens per intellectum, vel ens non per intellectum: si est aliquid reale: ergo aliquid includitur in ente rationis, quod est formaliter ens reale. Si est aliquid rationis: ergo aliquid rationis includitur formaliter in ente reali: & sic ens reale erit essentialiter ens rationis: quod est absurdum: ergo.

Secunda pars etiam in Doctore sustineri de bet: nam iuxta determinata quæst. vnica de prædicam. in communi, art. 11. quæ reductiue in aliquo genere ponuntur sunt idem realiter cum re, cum qua ponuntur: sed relationes rationis non sunt huiusmodi: vt patet: ergo non ponuntur reductiue in hoc prædicamento.

Obijcies nobis Doctorem in textu dicentem relationes rationis debere poni in hoc genere per reductionem: sicut & omnia intentionalia.

Respondeo: quod Doctor non loquitur assertiue, sed dubitatiue: ait enim si tamen debeat poni in genere per reductionem: & statim subdit: sicut forte omnia intentionalia. Vbi ponderanda sunt, ly, si debeat; & ly, forte: de quo in vltima conclusione clarius.

Dicendum tertiò. Relatio realis intrinsecus adueniens est, quæ solum ad hoc pertinet prædicamentum. Hæc est Doct. expressa in quarto dist. 13. quæst. 1. littera D. & omnium suorum, maxime Maiorij in sua Logica passu 29. in fine: & probatur: tum à sufficiente diuisione: tum etiam, quia talis relatio habet omnia requisita ad hoc prædicamentum: nam est entitas realis, finita, & per se, vniuocæ, cuius ratio consistit in reali habitudine ad aliud, vt ad purum terminum, per quam à reliquis generibus essentialiter distinguitur.

Dicendum quartò. Relationes secundum dici ponuntur reductiue in genere illo, quorum sunt relationes: & relationes rationis, in vndecimo prædicamento, quod supra quæst. citata artic. nono assignauimus. Prima pars patet: nam tales relationes non sunt aliquid additum absolutis: sed ipsum absolutum cum ordine illo: ordo enim materiæ ad formam tantum est ipsa materia ad formam inclinata: & cum talis ordo sit idem realiter cum materia: idem non potest esse materia sine illo, & in eodem genere constituuntur.

Secunda pars etiam constat: & eam tantum vult Doct. quando ait, relationes istas reductiue in hoc genere apponi: nam quia in hoc genere est aptissimum fundamentum ad has relationes fundandas: idem ad hoc prædicamentum reducti dicuntur, propter similitudinem inter vtranque.

Ad argumenta primæ sententiæ respondetur: ad primum nego maiorem: nam hoc prædicamentum est adiuuentum propter relationes reales intrinsecus aduenientes.

Ad secundam dico: quod non solum in verbis, sed in re differunt prædictæ diffinitiones: vt quæst. sequente videbimus.

3. Conclus.

4. Conclus.

Ad primam, pro 1. sent.

Ad secundam.

Ad

Ad tertiam.

Ad tertium nego maiorem: nam talis ordo non est ad aliud simpliciter, vt ad purum terminum: vt diximus.

ARTIC. III.

An formalis, & præcisa ratio relationis sit ordo ad terminum?

QVIA in relatione triplex habitudo consideratur: altera ad fundamentum, quæ per esse, ab, explicatur; altera ad subiectum, quæ per esse, ad, exponitur; altera ad subiectum, quæ per esse, in, significatur: idem in presenti quærimus: an omnes istæ habitudines sint de essentia relationis realis: an tantum ordo ad terminum præcise. In quare duplex sententia inter Scotistas versatur. Prima est doctissimi Magistri Herrera in primo dist. octaua questione prima, qui sequutus Bargium in primo distinct. tertia questione quinta, folio 130. tenet vtrumque ordinem ad fundamentum, & ad terminum esse relationi essentialem: probatur primò, ex Doctore in quarto distinct. 12. questione prima littera D. dicente: quia respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema: ita, sicut tollere terminum, ad quæ est respectus; est tollere respectum, ita tollere illud, cuius est respectus, est tollere respectum, & destrueret rationem respectus. Et questione secunda ad tertium, sic ait: dependentia relationis ad fundamentum est essentialissima: ita quod sine ea non potest esse ratio relationis: ergo secundum Doctorem, vterque ordo est relationi essentialis.

1. Sentent.

2. Argum.

3. Argum.

4. Argum.

Nota.

2. Sentent.

Notand.

Secundò, nõ minus implicat relationem esse sine fundamento, quam sine termino: sed ordo ad terminum est illi essentialis: ergo & ordo ad fundamentum. Maior probatur: relatio pendet à fundamento, & termino: est enim relatio dependentia vnius ad aliud: ergo vtrumque ponitur in eius diffinitione: ergo sicut implicat illam esse sine termino: ita & esse sine fundamento. Prima consequentia patet: vnum quodque diffinitur per id, à quo essentialiter dependet: sed relatio dependet à fundamento, & termino: ergo, si diffinienda est; per vtrumque diffiniri debet.

Tertiò, illud, sine quo res intelligi non potest, est de eius intinleca ratione, sed relatio nõ potest completere intelligi sine ordine ad fundamentum: ergo talis ordo est illi essentialis. Et hoc est totum fundamentum huius sententiæ: nam relatio adæquate, & complete considerata vtrumque ordinem includit: & per hoc ad argumenta oppositæ responderetur.

Secunda sententia affirmat tantum ordinem ad terminum esse relationi essentialem. Ita communiter Scotistæ: Franciscus de Maiorij in primo dist. 29. questione quinta, & in quarto distinct. 12. questione septima, Vigerius in primo dist. 3. quæst. 5. pro qua notandum: quod relatio potest à nobis concipi, vel præcise secundum suam

entitatem absolute: vel quatenus est quiddam effectus à sua causa causatus: primo modo; tantum dicit esse, ad secundo modo, dicit ad, & ab: ad, tanquam rationem constitutiua, & specificatiua: ab, vero dicit, tanquam rationem constituentem ipsam in esse effectus dicentis ordinem, & dependentiam ab alio. Et licet, ab, inferri sit prius, quam esse, ad: quia prius intelligitur dependentia ab alio, quam habere esse in se complete: nihilominus esse, ad, & relatio secundum se; vt est entitas realis à fundamento producta; est prior, quam esse, ab: nam prior est effectus secundum suum esse absolutum, quam secundum esse relatiuum dependentiæ: & cum esse, ad, constituat relationem in suo esse absolute: & esse, ab, constituat ipsam in esse relatiuo dependentiæ à fundamento, tanquam effectum à sua causa: hinc est, quod prius est esse, ad; quam esse, ab. Et idem quando ait Doctor: quod esse, ad, præsupponit esse, ab: debet intelligi, de esse, ab, in fieri; quatenus est dependentia inferri, quia relatio dicitur à fundamento dependere, & ab illo habere entitatem: non vero de esse, ab, in facto esse & consequente relationem; ac constituyente eam in esse perfecto dependentiæ. Exempli causa; in calore producto; prius consideratur actio ignis producentis, quæ dicitur relatio dicens, ad, inferri. Secundo consideratur productio passiuæ caloris dicens, ab, inferri: quia ab igne inferri accipit esse; & ab illo actualiter dependet. Tertiò, consideratur ipse calor productus absolute, quatenus habet esse dependens in facto esse ab igne: & tunc dicit, ab, in facto esse; ad quod sequitur esse, ad, tanquam effectus ad causam: quia non posset dicere ordinem ad ignem; vt ad causam, à qua dependet; nisi prius ab illo dependeat, & dicat esse, ab: ita similiter in relatione: prius est actio fundamenti: secundo ipsa entitas relationis dicens, ad tertio est ordo, ab: ac tandem est alius ordo, ad, terminatus ad fundamentum, vt ad causam. Quare nostro modo intelligendi tantum esse, ab, in fieri est prius, quam esse, ad; quod constituit relationem in suo esse completo.

Dicendum primò. Si relatio consideretur, vt quoddam accidens est, ordo, in, est eius propria passio. Hæc est communis apud nostros cū Doct. in quarto dist. 2. quæst. 1. contra Thomaziantes afferentes esse, in, esse de conceptu essentiali accidentis; & probatur: esse, in, se habet ad relationem, vt accidens est; sicut se habet respectu accidentis: sed respectu accidentis est propria passio, vt sepe diximus: ergo & respectu relationis.

Dicendum secundò. Ordo ad terminum est tantum relationi essentialis, & in primo modo: ordo vero ad fundamentum est illi accidentalis: ita communiter Scotistæ, quam late prosequitur Antonius Trombeta in sua Metaphysica: & probatur primò, ex Doct. in tertio dist. 7. quæst. 5. ad tertium Henrici, vbi habitudinem relationis ad fundamentum comparat ad habitudinem quantitatis ad suum fundamentum: sed hæc secunda non est de essentia quantitatis: ergo nec prima est de essentia relationis. Et quodlib. 3. littera M. sic ait: qui comparat paternitatem ad

1. Conclus.

2. Conclus.